

Porro praeter hos duos *lictores praeco* CONDEMNATVM praeibat, qui uniuerso populo hunc *executionis* actum annunciabat, et unumquemque e plebis turba ad CONDEMNATI innocentiam defendendam euocabat; huncque apud Ebraeos in poenis irrogandis proclamandi morem Iurisconsulti nostrorum temporum scite et eleganter ad ELOGIA CRIMINVM referunt. g) Denique tandem MAIMONIDE exponente h) REO duo discipuli sapientum, hoc est CANDIDATI associabantur, ut uerba eius accuratius perpenderent, et intelligere possent, num hic e rationibus, ab ipso ad probandam integritatem suam prolatis in *Synedrium* reducendus, an *executioni* tradendus sit.

Verum altum harum rerum in historia STEPHANI silentium! Quare in sententiam LIGTHFOOTI concedo, qui, dum in hunc locum commentatus est, inquit: i) VERBOR NE NON ITA TECVM ACTVM SIT, O INNOCENTISSIME STEPHANE!

K 2

§. X

g) Videatur *Illustris RIVINI Disputatio de elogiis criminum* anno 1755. habita §. XX. pag. 24.

h) In *IAD CHASEKA HILCHOTH SANHEDRIN* Cap. XIII. fol. 737. col. 2. לפיכך מוסרין לו שנים תלמידי חכמים ששומעין בדבריו בדרך אם יש ממש בדבריו מחזירין אותו: *Propterea associabant illi duos discipulos sapientum, i. e. Candidatos, quibus in uia uerba ipsius audienda et ponderanda erant, si aliquid solidi in uerbis ipsius inueniebatur, reducebant illum, sin minus illum non reducebant.*

i) In *Horis Hebraicis et Talmudicis ad Act. Apostol. Cap. VII. u. 58. pag. 78.*